



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima**

**Martini, Martino**

**Monachii, 1658**

Trigesimusseptimus Imperator Cheukiunius. Imperavit annis IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11848**

TRIGESIMUSSEPTIMUS IMPERATOR  
CHEUKIUNIUS.

Imperavit annis IX.

Cylo 41. anno  
4. ante Chri-  
stum 254.

CHEUA stirps  
imperatoria  
extincta.

**H**ic ergo à fidis Præfectis Regulisque nonnullis cooptatus Imperator haud lætiorē quā Fous ejus frater exitum habuit; nimia jam & invicta propemodum CINI potentia. Bellum quidem ei moliebatur adjutus à suis; verum invito Marte, quod CI & ZU & GUEI reges etsi copijs valentiores ei nollent esse auxilio, suis quisque rebus intenti. CIN enim victorij & copiarum multitudine tumidus, CHEUKIUNIÓque per LIUPUGUEIUM Præfectum resistens, adduxit eum in tantas angustias, uti demum præsentium rerum fastidio concepto, ubi nihil effici labore dignum vider, ac pejora metuens, imperio se abdicavit ultro. Atque ita CHEUA stirps, penes quam summa scepra diutissime fuerunt, extincta est, ignavia CHEUKIUNII sepulta, servanda vitæ in occulto reliquam ætatem agentis, & hominis privati modo. Verum nec CHAOSIANGUS imperium, ut nihil ferè diuturnum, quod violentum, diu tenuit; mortuus, antequam videret æmulum suum decessisse imperio, id est, anno ejusdem Cycli quadragesimo septimo. Successorem habuit HIAOUENIUM filium, pari felicitate ac prudentia continuantem paterna bella. Sed & hunc in secundo impetu fluxuque rerum nil nisi victorias cogitantem propera fato mors interceptit, vix elapso potestatis anno; illustre conditionis humanæ documentum. Hunc excepit CHAOSIANGUS, qui triennio rerum potitus, GUEI regem aliquot proeliijs fudit, usus MUNGAO Præfecto duce. Quibus icti victorij Sinici reges tandem sapere coeperunt. Cum enim viderent CINUM non imperium ambire modò, sed omnibus omnino regnis imminentem, ipsos denique reges extinctum ire; conspirant, feriuntque foedus, antea CINO non parum obfuturum, sed neque nunc pœnitendum. Conflatus quinque regum exercitus ad decies centena hominum millia succrevit; cui SINLINIUS cum summo imperio præesse jussus, MUNGAUM in GUEI regno fudit ac fugavit. Moritur interea CHAOSIANGUS, CHINGO filio relicto successore, qui bella confecit omnia, & quæcunque coeptaverat, ad exitum insigni constantia & felicitate adduxit, ut in sequenti libro docebimus.

MAR-